



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi  
Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. 8. de voluntate antecedente, & consequente.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

CAPVT VIII.

De voluntate signi, & beneplaciti, Antecedente, & consequente.

1. *Voluntas signi & beneplaciti.*

*D. Thom.*

*Psal. 102.*

*Act. 13.*

*Quing. signa voluntatis.*

Superioribus diuisionibus, quæ sumptæ sunt ex analogia ad nostram voluntatem, additæ sunt alia à Theologis quas nosse oportet, ad explicandas varias loquutiones scripturæ, & Patrum, & ideo illas breuiter percurramus. Diuiditur ergo voluntas Dei in voluntatem signi, & beneplaciti, vt videri potest in Dino Thoma questione 19. articulo 11. & 12. Quæ diuisio iuxta communem sensum Theologorum valde analogæ est, nam voluntas signi non est vera voluntas, sed signum voluntatis, solet enim vocari voluntas alicuius, id quod ipse vult aliquo modo, & omnè id, quod indicat voluntatem eius. Sic videtur sumi Psalm. 102. *Notas fecit vias suas Moysi, Filius Israel voluntates suas,* id est, præcepta sua. Et Act. 13. *Qui faciet omnes voluntates meas,* id est, præcepta, vel opera, quæ ego voluero. In hoc ergo sensu vocant Theologi voluntatem signi, externum signum diuinæ voluntatis. Numerantque quinque signa diuinæ voluntatis. *Præceptum, Prohibitionem* (quæ est præceptum negatiuum) *Concilium, Permissionem, Operationem.* Circa quæ breuiter aduerto, signum voluntatis metaphorice dici voluntatem, semper tamen in D E O indicare aliquam veram voluntatem alias non esset verum signum, neq; nomen voluntatis mereretur, etiam secundum analogiam. Sicut homo pictus nisi verum hominem representaret, nec analogice, nec metaphorice homo dici posset. In his ergo signis attente considerandum est, quam veram voluntatem in Deo indicent. Ideo namque hæc signa distinguuntur, quia non eundem voluntatis modum significant.

Præceptum ergo de se non indicat absolutam voluntatem Dei, quod res præcepta fiat, sed indicat absolutam voluntatem præcipiendi, & obligandi, vt fiat: cum affectu simplicis desiderij, vt ita fiat. Idem est cum proportione de prohibitione, nam illa etiam est quoddam præceptum oppositi, seu negatiui obiecti. Indicat ergo in D E O voluntatem præcipiendi, & obligandi, ne aliquid fiat cum affectu, vt non fiat, quantum est ex parte Dei. Concilium non est signum voluntatis Dei obligandi, sed immediate videtur concilium indicare iudicium Diuinum decernens esse melius id, quod consultit, & consequenter etiam indicat simplicem affectum Dei, & desiderium, vt id fiat, quantum est ex parte sua. Permissio autem conuenit cum præcedentibus, quia non indicat voluntatem efficacem rei permissæ, differt tamen, quia simplicem affectum non indicat. Permittit enim Deus peccatum, quod nullo modo vult. Indicat ergo voluntatem non denegandi concursum generalem ad rem permissam, nec impediendi ne fiat, Diuus Thomas dicto articulo duodecimo, exposuit. Operatio vero Dei indicat voluntatem Dei, quæ vult id facere, vel ad id concurrere, quia omnia per suam voluntatem operatur. Quæ voluntas non semper est eiusdem rationis, aliter enim D E V S vult, quod ipse solus facit, quam quod facit per creaturas, & aliter vult bonum opus quam illud, quod habet malitiam adiunctam. Et ideo fortasse dictum est Psalm. 110. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* Quia varij sunt volendi modi, qui in operibus D E I latent. Ad quod pertinent multa, quæ de decretis diuinæ voluntatis in libris de Auxilijs disputauimus.

*D. Thom.*

*Psal. 110.*

3. *Voluntas beneplaciti significat veram voluntatem*

Ex declaratione huius membri constare potest, per voluntatem beneplaciti significari voluntatem veram in D E O existentem: ac subinde sub illo membro comprehenditur totum velle Dei, prout ver-

fatur circa obiecta creata, quia hoc necessarium est, vt diuisio sit adæquata. Sic ergo omnis vera voluntas Dei beneplacitum eius dici potest, sicut videri dixisse Christus Matt. 11. *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Ibi enim tam de voluntate illuminandi quosdam, quam de voluntate obsecranda, seu non illuminandi alios, loquutus est. Aliæ ergo diuisiones diuinæ voluntatis, de voluntate beneplaciti intelligendæ sunt. Vnde ad illam pertinent omnia, quæ in tribus primis diuisionibus dicta sunt, & ad idem membrum spectant omnes voluntates, quas per quinque dicta signa ostendi, diximus. Vltimus vero solet hæc voluntas alijs modis diuidi.

*Math. 11*

*Voluntas consequens, & antecedens.*

Vltimus itaque diuiditur voluntas diuina in voluntatem antecedentem, & consequentem, quam distinctionem tradunt omnes Theologi statim citandi, non tamen omnes eodem modo illam declarant. Quidam dicunt voluntatem antecedentem vocari, quando non terminatur ad rem aliquam in se, sed ad aliam antecedentem, ex qua sufficienter potest altera fieri, licet fortasse impedienda sit ne fiat. Ita videri exponere Durandus in 1. distinct. 47. quæst. 1. num. 5. & ibi Bonauent. art. 1. quæst. 1. Heruæus d. 4. q. 2. Gab. qu. 1. & alij, quos retuli in relectione 1. Disp. 1. sect. 1. nu. 8. Exemplo declarant, quia vult Deus reprobos saluari, non quia velit eis gloriam: sed quia vult sufficientem gratiam, in qua veluti antecedenter continetur gloria. Sed obijci potest, quia Deus vult hoc modo antecedenter causas, ex quibus sequitur peccatum, & tamen non potest dici velle peccatum, etiam voluntate antecedente, imo simpliciter odio habet peccatum, quia vere illi displicet. Respondent fortasse, peccatum non sequi ex eo, quod Deus vult, nempe, ex permissione. Vt autem dicatur Deus velle aliquid antecedenter, oportere, vt sequatur ex illo quod Deus vult tanquam ex causa.

4. *Primus modus declarationis.*

*Durand. Bonauent. Heruæus. Gabriel.*

Sed nihilominus cum voluntas antecedens vera sit, & non metaphorica, & ratione illius dicatur Deus velle aliquid, v. g. salutem omnium hominum, 1. Timoth. 2. necesse est, vt talis voluntas sit aliquo modo terminata ad rem volitam in se ipsa. Preterea, hæc duæ voluntates distinguuntur ratione à Theologis, at iuxta illam expositionem non essent duæ voluntates, sed vna, quæ vt terminatur ad suum obiectum immediatum, est consequens, respectu vero alterius, quasi virtute, vel causaliter in illo contenti, dicitur antecedens. Denique, nec ratio nominum quadrat, nam voluntas, quæ versatur circa obiectum proprium, cur ea ratione consequens dici debet, cum sit proxima sui obiecti (vt sic dicam) & aliud non sit obiectum eius nisi virtute, & quasi interpretatione quadam. Denique ex dicendis constabit, non esse necessarium recurrere ad has metaphoras.

5. *Reijciunt. 1. Tim. 2.*

Secundo exponitur hæc diuisio aduertendo, Deum aliquid ex se velle, ratione suæ voluntatis, vt misereri, benefacere: aliquid vero tantum prouocatus ab hominibus, vel supposita præscientia alicuius operis nostri, vt punire, vel aliquod malum irrogare. Voluntas ergo Dei, vt versatur circa priora opera dicitur antecedens, quia ex se Deus illam habet, nulla sumpta occasione ex nostris operibus: vt autem versatur circa posteriora, dicitur consequens, contraria ratione. Hanc partitionem hoc modo explicatam indicauit Chrysostr. homil. 1. in ad Ephes. Vbi has duas voluntates primariam, & secundariam, seu primam, & secundam appellauit. Damascen. vero libro 2. de fide cap. 29. etiam nomina antecedentis, & consequentis addidit. Nec dubitare possumus, quin sit in Deo illud duplex genus voluntatis, nam (vt alia obscuriora exempla omit-

6. *Secundus modus.*

*Damasc.*

tamus) clarum est, voluntatem creandi mundum primariam fuisse, ex sola enim sua bonitate illam habuit, quod etiam de voluntate sumendi carnem humanam, credendum est. At voluntas aliquem damandi, vel perpetuo deserendi, secundaria est: Deus enim neminem deserit nisi prius deseratur ab ipso. Unde notari potest ex dictis Patribus, quoties exemplum ponunt secundariæ voluntatis, applicare illa ad voluntatem inferendi malum. Nam licet interdum Deus non conferat aliquod bonum, nisi per motum suo modo ab homine, per orationem, dispositionem, vel meritum: nihilominus, quia semper Deus de se est paratus ad hæc bona conferenda, & illum ipsum ordinem vult propter maius bonum nostrum, quod totum à primaria eius voluntate originem habet; ideo in malis semper explicant voluntatem consequentem, cum tamen (vt dixi) suo modo locum habeat in aliquibus bonis. Denique quod attinet ad voces, non est dubium quin sint aptæ ad illas voluntates significandas, & ideo partitio illa in hoc sensu, & bona est, & utilis ad diuinam prouidentiam explicandam.

7. Tertia expositio illorum membrorum est Diui Thomæ dicta quæstion. 19. artic. 6. ad 1. quem Thomista sequuntur, & Richardus in 1. distinct. 46. quæstion. 1. Corduba lib. 1. quæstion. 956. Vult itaq; Diuus Thomas voluntatem antecedentem non esse absolutam, & efficacem, *Sed magis* (inquit) *dici potest velleitas, quam voluntas, voluntatem vero consequentem dicit esse efficacem, semperque impleri.* Unde, quod ad voces attinet, priorem dicit vocari antecedentem, quia est de obiecto, seu sine bono secundum se respectato, præseindendo ab adiunctis, seu à particularibus circumstantiis. Posteriorem vero vocari consequentem, quia est de re in particulari, consideratis omnibus adiunctis, & circumstantiis eius ad hunc modum dixit idem Diuus Thomas 1. 2. quæstion. 1. artic. 4. quæ ex metu sunt esse simpliciter voluntaria, & secundum quid inuoluntaria. Unde cum in periculo tempestatis, quis vult conseruare merces, quas nihilominus vult efficaciter projicere in mare, dici potest iuxta dictam expositionem habere voluntatem antecedentem per simplicem affectum, seu velleitatem non projiciendi, & voluntatem consequentem per absolutam voluntatem projiciendi merces. Ad hunc ergo modum in Deo philosophamur, iuxta dictam expositionem.

8. Quæ quidem expositio quoad doctrinam, quam continet, verissima est, (& hoc est, quod ad rem spectat.) Item quoad verborum accommodationem habet sufficientem congruentiam, vt ex illius declaratione constat. An vero fuerit iuxta mentem Damasceni parum refert: factus enim est quod non sit illi contraria. Ego vero existimo aliquid illi addidisse. Nam iuxta Damascenum voluntas consequens semper est efficax, & in hoc conuenit cum voluntate consequente à Diuo Thoma explicata, quia vtraque est voluntatis effectus in particulari, omnibus consideratis, vt aiunt. Et ita in hoc membro nihil est peculiare in vtraque expositione præter rationem seu etymologiam nominis. Voluntas autem antecedens iuxta Damascenum potest esse & efficacis, & inefficax, quia vtroque modo potest velle Deus aliquod bonum ex se, nam & electis, & reprobis voluit esse perseverantiam, & salutem æternam, atque adeo vtrisque antecedenter (iuxta illam expositionem) & tamen electis efficaciter, alijs non, sed tantum secundum quid. Hanc ergo voluntatem fecit eo voluntatem antecedentem, vt sic, semper censuit esse inefficacem. Quod si interdum voluntas aliqua beneplaciti, quæ à Deo ex se solo habet, absoluta & efficacis est, illam vocaret Diuus Thomas (vt opinor) consequentem, quia haberetur absolute, & con-

Suarez: de Deo trinuno.

sideratis omnibus quæ ad illam necessaria sunt, vt fuit voluntas creandi, vel similes.

9. Omnis ergo disensionibus verborum, addere possumus diuisionem actus diuinæ voluntatis, in efficacem, & inefficacem, quæ est subdivisio voluntatis antecedentis, iuxta expositionem Damasceni, vel est noua diuisio voluntatis beneplaciti, & ita habet locum in vtraque sententia. In qua diuisione de priori membro aliqua sunt certa, videlicet, esse aliquam voluntatem, absolutam, & efficacem in Deo, & illam esse per quam principaliter operatur, & quæ semper impleretur, quia omnia, quæcumque voluit, fecit. Psalm. 113. & cui nemo potest resistere. Rom. 9. Genes. 50. Esther 13. Et ratione huius voluntatis dicitur Deus, non operari aliquid sine voluntate sua, iuxta id ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* Demum sine hac Dei voluntate nihil subsistere potest, vt dicitur Sap. 11.

Alia diuisio voluntatis.

Psalm. 113.  
Rom. 9.  
Genes. 50.  
Esther. 13.  
Ephes. 1.

10. Nonnulla vero alia de hac voluntate à Theologis disputantur. Vnum est, an hæc ipsa voluntas sit immediatum principium, quo Deus ad extra operatur, vel secundum rationem sit aliud attributum propinquius, quod in Metaphysica tractatum est, & cap. seq. attingitur. Aliud dubium est, qualis & quomplex sit in Deo hæc voluntas efficax, an sit præueniens, & præueniens, vel concomitans præsertim circa actus liberos humanos. Cum qua quæstione coniuncta est alia. Quomodo efficacia huius voluntatis diuinæ stet cum libertate actuum voluntatis humanæ. Quæ dubia longissimæ disputationis materiam nobis præbebant, sed tractata sunt copiose in tribus libris de Auxilijs, & ideo nihil amplius dicere necesse est, præter ea, quæ de Prædest. postea dicemus.

11. In altero autem membro voluntatis inefficacis, non est tam certum apud omnes, dari in Deo vere, & proprie talem actum, quod videntur sentire auctores citati in prima expositione præcedentis diuisionis. Cuius occasione tractari hic solet, de sensu illius loci Pauli. *Deus vult omnes homines saluos fieri.* Ego vero suppono dari in Deo talem actum, & de omnibus omnino hominibus loquutum fuisse Paulum in citatis verbis. Quod ostendi in Relect. 1. Disput. 1. sect. 2. num. 9. & latius id tractabimus infra lib. 4. de Prædestinatione ferè per totum. Hoc ergo supposito, certum est, talem voluntatem illam Dei non semper impleri, vt in eodem exemplo, & testimonio Pauli manifestum est. Et ratio est, quia non est efficacis voluntas, neque ipse Deus vult aliter illam habere, & ideo nulla est imperfectio, vt in dicto loco latius declarabitur. Vbi etiam videbimus, an illa voluntas sit actus liber in Deo, vel necessarius. Item an sit vera intentio finis, conferens aliquid ad electionem mediatorum, vel simplex tantum affectus complacentiæ in bonitate possibili. Item an sit actus aliquo modo absolutus, vel conditionatus, & ideo de diuina voluntate hæc sufficiant.

## CAPVT IX.

### De omnipotentia DEI.

1. Supponimus in primis, Omnipotentiam esse vnum ex specialibus attributis, quæ per modum affirmationis de DEO proprie, & vere dicuntur. Quæ veritas, quoad rem ipsam de fide est, ita enim loquitur Deus. *Ego Deus omnipotens.* Gen. 17. 33. & sæpe alias, & Sap. 11. Vocatur hoc attributum, *Omnipotens manus Dei, quæ creauit omnia.* Et ratione illius dicitur Luc. 11. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* In hoc autem attributo duo includuntur. Vnum est, esse potentiam vere, & proprie effectricem: aliud est, illam potentiam esse amplissimam in obiecto suo: atque adeo comprehendere sub se omne possibile, id est, quod fieri non repugnat. Ita enim explican-

Omnipotentiam esse attributum Dei.  
Gen. 17. 33.  
Sap. 11.  
Luc. 11.